



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAENOSTRI PONTIFICATUSIMAGO B. M. V. QUAE IN
ECCLESIA SANCTISSIMAE TRINITATIS

IN OPPIDO «GLIWICE» ASSERVATUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI SINITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Nostri Pontificatus ab initio Virginis Mariae cultum atque amorem continenter in universo christiano populo excitare et
augere satagimus. Hoc enim non modo per se ipsum praestantissimum est multisque modis frugiferum, sed etiam cum
intimo animi Nostri sensu suavissime concinit. Cum igitur Venerabilis Frater Noster Iosephus S. R. E. Cardinalis Glemp.
Archiepiscopus Gnesnensis-Varsaviensis, Coetus Episcoporum Poloniae Praeses, datis litteris die XVI mensis superioris
Februarii, a Nobis instanter postulaverit ut illa perantiqua et clarissima imago de «Łysiec» sineretur nomine Nostro atque
auctoritate diademate pretioso coronari, Nos re qua oportebat consideratione reputata, benevolentiae Nostrae isti
carissimae communitati documentum largiri cupientes, libentissimo quidem animo his expostulationibus concedimus.
Cum autem res ita se habeat, iis probatis quae Congregatio pro Cultu Divino de hoc negotio statuit, committimus
Venerabili Fratri Nostri quem diximus, vel ei quem ipse legaverit, munus corona redimiendae ipsius imaginis Beatae
Mariae Virginis de «Łysiec» quae in ecclesia Sanctissimae Trinitatis in oppido «Gliwice», Opoliensis dioecesis,
asservatur, iuxta probatum liturgicum ritum, nomine et auctoritate Nostra. Contrariis quibuslibet rebus neutiquam
obstantibus. Ceterum nihil dubitamus quin honos creditus in religionis bonum inque fidelium spiritale emolumentum cedat
atque erga Virginem Mariam floreat pietas. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Martii,
anno MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.*AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright
1987 - Libreria Editrice Vaticana
